Q. D. B. V.

BALSAMUM VERUM
QUOD VULGO
OPOBALSAMUM DICITUR

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. VVILHELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ AC MONTIUM
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ &c.

SUB PRÆSIDIO
JO. HADRIANI SLEVOGTII
HEREDITARII in Ober-Roßla
MED. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. itemque MED. DUC. PROV.
PRÆCEPTORIS SUI AC PROMOTORIS VENERANDI

PRO

LICENTIA
DOCTORIS GRADUM ET PRIVILEGIA
MORE MAJORUM LEGITIME CAPESSENDI
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI EXPONET

JOANNES FRIDERICUS Weißmann
NEOSTADIO - FRANCUS

IN AUDITORIO MAJORI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
D. IV. FEB. MDCCV.

JENÆ
LITERIS GOLLNERIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO
DOMINO

GEORGIO GVILIELMO

MARCHIONI BRANDENBVRGI BORVSSIÆ MAGDEBVRGI STETINI POMERANIÆ CASSVBIORVM ET VANDALORVM ETIAM CROSNÆ IN SILESIA DVCI BVRGGRAVIO NORIMBERGÆ PRINCIPI HALBERSTADII MINDÆ ET CAMINI COMITI HOHENZOLLERÆ CETERA; AVGVSTISSIMI CÆSARIS POTENTISSIMIQVE POLONIARVM REGIS ET CIRCVLI FRANCONICI GENERALI CAMPI MARESCHALLO LOCVMTENENTI NEQVE NON QVARVNDAM LEGIONVM ALIARVM PEDITATVS ET EQVITATVS DVCI SVPERIORI &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

specimen hoc inaugurale
subjectissima & humillima Devotione
offert

JOANNES FRIDERICVS Weißmann

Q. D. B. V.

§. I.

BALSAMUM est liqvor resinosus, ex arboris cujusdam humilis Cortice, tam sponte, qvam per levem ejus incisionem, instar lachrymæ fluens, colore ab initio albo, per ætatem autem flavo, odore svavi, & sapore acri amaricante, magnisqve in Medicina viribus præditus.

§. II.

Ipsa vox *Balsamum*, vel ut alii minus usitate loqvuntur, *Balsamus*, ratione Originis Hebræa est, & tunc vi nativæ significationis idem erit, ac *oleum domini* vel *dominus olei*, qvia, ob caritatem, non nisi magnatibus venale exponitur, & una cum aliis ad Regum unctiones adhibetur. Haud igitur, ut Servius Comment. in 2 Georgic. putat, *arborem tantum*, sed etiam succum ejus, inde collectum, qvem vulgo OPOBALSAMUM vocant, notat: id qvod, si non aliunde constaret, certe ex Plinio disci posset, apud qvem lib. 12, H. N. c. 25. omnibus odoribus balsamum, *uni terrarum Judææ concessum*, præferri legimus. Cui etiam excellent. Bruno, Præceptor qvondam meus venerandus, in Lex. Castelliano accedit, qvi balsamum strictissime & κατ' ἐξοχὴν *de succo arboris alicujus* in Arabia, Judæa & Palæstina cultæ, Arabibusqve Balessan & Balsan dictæ, dici scribit.

§. III.

De variis significationibus, seu Homonymia vocabuli Balsami præ aliis accurate agit modo laudatus D. Bruno, in Lexico citato, ex qvo verba authoris huc transcribere, ideo superfluum putamus, qvia persvasi sumus, qvod in omnium philiatrorum manibus volvatur.

 Nec

Nec diu etiam in recensione multiplicium synonymorum hærebimus, ad ea potius transituri, qvæ propius ad rem ipsam pertinent.

§. IV.

Sufficit igitur hac vice monuisse, nobilem hunc liqvorem qvoqve vocari *Balsamum verum*, ut ab aliis tam nativis, *Tolutano* sc. *Peruviano*, *de Copaiba* &c. qvam artefactis, cum qvibus ob similitudinem consistentiæ, odoris, viriumqve aliqvam præstantiam, nomen commune gerit, discernatur. Qvem in finem etiam a *patria*, Arabicum, de Mecha, Ægyptiacum, Syriacum, Judaicum & Gileadense audit: Sicut ab *habitu externo* lachryma Balsami, qvia instar lachrymarum ex arbore fluit, & a *colore* apud Romelium, in notis ad Schrœderum, Balsamum indicum album verū Germanis der wahre Indianische Balsam / ad differentiam Balsami de Copaiba, qvi hodie qvoqve Balsami Indici albi nomine venit. Belgis est Wittachtige Indianische Balsam.

§. V.

Restat communissima pariter ac antiqvissima appellatio, qvando OPOBALSAMVM salutatur, qvasi dicas *τὸν ὀπὸν τȣ̃ δενδρίȣ βαλσάμȣ*, *succum balsami arbusculæ*. Cum autem vocis ὀπȣ̃ significatio non una, sed triplex occurrat, videndum, qvænam magis balsamo congruat. Prima *strictior* est, qvando a veteribus *καθ᾽ ἐξοχὴν* modo silphii vel laseris succo, qvem hodie *asam fœtidam* vocant; vel *opio*, lacteo isti ex incisis capitibus papaveris stillanti liqvori, tributum fuit. Altera *latius* patet, & a Plinio qvidem tantum de succo lacteo ex vegetabilibus lactiferis, v. g, esula, scammonea, lactuca, ficu, similibusqve sponte, aut per incisionem caulis radicisqve fluente; ab aliis autem etiam de reliqvis liqvoribus usurpatur, qvi ex arbore vel planta aliqva, sine destructione totius vegetabilis, prolecti, nunc absolute *succi* appellationem retinent, qvando scilicet tenuiores & aqveæ consistentiæ sunt; quales vitis, betula, ulmus &c fundunt: nunc vero, qvando spissiores exeunt, in genere Græcis δάκρυα, Latinis *Lachrymæ* salutantur: in specie modo *resinæ*, modo *gummata*, modo *gummi resinæ* audiunt, prout scilicet magis minusqve salino 🜔reæ, aut aqveæ naturæ sunt, aut de utraqve participant.

§. VI.

Diximus ejusmodi ὀπȣ̀ς sine *destructione* ipsius vegetabilis colligi,

gi, qvando vel ſponte per poros corticis, vel ex vulnere, in eo facto, manant; ut a χύλῳ diſtingvantur, qvi qvemcunqve liqvorem, per *contuſionem, coctionem* & *expreſſionem* ex tota planta non minus, qvam ejus partibus, radice ſc. caule, foliis, fructibus & ſemine acqviſitum notat, & ex capitibus papaveris hoc modo veniens, in ſpecie *meconium* vocatur.

§. VII.

Tertia appellatio eſt *latiſſima*, qvando ſecundum Theophraſtum lib. 9, Hiſt. plant c. 10, ὁ ὀπὸς *commune humoris proprii plantarum nomen*, verbis Magnif. Wedelii, Patroni mei & Præceptoris ad cineres usqve venerandi, in opiolog. p. 5, communiter *qvalemcunqve liqvorem vel humorem, vel ſuccum, qvi aliunde emanat, ſive id fiat mediante expreſſione, inciſione, vel etiam ſpontanea protruſione luxuriantis ſubſtantifici ſucci*, ſignificat; qvo ſenſu etiam, qvando *balſamo* præfigitur, commode tolerari poteſt, qvia hunc & *ſponte* & per *inciſionem ramulorum*, horumqve (ſecundum nonnullos) *coctionem* in apricum venire, infra explicabimus.

§. VIII.

Quod ipſum anteqvam faciemus, & ad ulteriorem evolutionem naturæ Balſami progrediemur, haud intempeſtivum erit ſciſcitari, *an id ipſum adhuc haberi qveat?* Non autem eo tendit qvæſtio, an adhuc in rerum natura idem extet? cum nonnulli abſurde auſi ſint ſtatuere, arbores balſamiferas in univerſum omnes periiſſe: ſed id tantum volumus, an *ſperandum ſit, id in noſtris myropoliis extare poſſe?* Negativam enim qvondam in ſe Romæ ſuſcipiebat tota ſocietas Aromatariorum, ut ab Antonio Manfredo atqve Vincentio Panutio elaboratam Theriacam, ob admixtum ſpurium opobalſamum, rejiceret. Thom. Bartholinus, in diſſert. de comp. theriac. p. 31. nobis, loco veri balſami, non niſi Peruvianum relictum eſſe ſcribit; & B. Ettmullerus, in notis ad Schrœder. iſtud ideo non amplius in noſtris regionibus extare cenſet, qvia in loco natali adeo rarum eſt, ut manibus ſaltem magnatum volvatur, & non amplius pondus ejus in loco natali ad duplum argenti vendatur, ut Dioſcoridis tempore fiebat, ſed potius, teſte Cluſio, in Monard. p. 103, uncia una modo X, modo XX ducatis redimi debeat. Enimvero, ſicuti teſte B. Volcamero, Præſide, dum viveret, Acad. N. C. magnifico, in examine opobalſami, Aromata-

riis a Castello & Veslingio, qvos ipsi arbitros, ad dirimendam cum Manfredo atqve Panutio agitatam controversiam elegerant, sufficienter responsum & existentia veri opobalsami ostensa est; ita nec raritas nec caritas hujus medicamenti obstat, qvo minus hodie ejus participes fiamus, qvod olim Galeni tempore, ut ex lib. 2. de comp. med. col. 13. liqvet, satis freqvens & ad temperanda fortiora pharmaca adhibitum fuit; postmodum autem per aliqvot secula in Europæis pharmacopoliis rarius extitit, qvia Turcæ, omne opobalsami natale solum possidentes, qvondam nullum vel exiguum cum Christianis mercatoribus commercium habuerunt, nunc vero his liberrimum accessum suarumqve regionum thesauros exportare permittunt. His accedit, qvod Imperator Turcarum exteris magnatibus, inter alias res prætiosas, balsamum qvoqve dono mittere solet, de cujus bonitate nullum dubium esse potest. Licuit nobis Hagæ Comitis uncias aliqvot hujusmodi balsami veri, aurei coloris, Regi Hispaniæ, Carolo III, a Turcico Legato donatas, apud D. D. Andream Fackium, Regiæ Majest. Archiatrum excellentissimum, manibus palpare. Cui coloris & consistentiæ ratione haud absimile fuit, qvod a D. D. Bidloo in Noscomio Lugdunensi ægris cum euphoria exhibitum, aliisq; in Pharmacopoliis asservatum vidimus, qvibus omnibus tamen præferendum, qvod celebris Amstelodamensium Pharmacopola Dn. Seba exhibuit, albedine sua novitatem & aptitudinem ad ostendendas notas ingenuitatis exhibens.

CAPUT II.

De speciebus balsami veri ejusqve notis characteristicis.

§. I.

Distingvitur communiter ratione consistentiæ balsamum verum in liqvidum & solidum, uti videre est apud Lobelium, tractatu de balsamo. Liqvidum est illud, qvod § 1, cap. 1, definivimus, & consistentiam similem habet cum balsamo de Copaiba vel therebinthina Cypria. Siccum vero est interdum instar gummi cerasi pellucidum, sæpius opacum & colore ruffo præditum, vel friabile, bene olens tamen, & lentescit masticatum instar mastichis, qvod ad nos in corticibus cucurbitarum & nucum coccarum ferunt. Enim vero qvamvis minime dubitemus, vero balsamo idem, qvod therebinthinæ non tantum

tum Cypriæ & Venetæ, balſamoqve de Peru & Copaiba, ambræqve liqvidæ, ſed oleis etiam deſtillatis atqve expreſſis plerisq; ſolet, accidere poſſe, ut temporis lapſu, qvando particulas aqveas, 🜂reis atqve ⊖inis fluiditatem largientes, exſpiravit, reſinæ ſoliditatem aſſumat; qvale apud Principem Wurtenbergicum manibus tractabile, flexile, diaphanum, inflammabile & ſvaveolentiſſimum Johannes Bauhinus vidit: rara tamen eſt hæc avis in noſtris terris, & cum iſta maſſa, qvæ vulgo opobalſamum ſiccum audit, vix comparari debet, qvam etiam jure magnificus Wedelius in pharmacia acroamatica p.237 rejicit, qvia vero opobalſamo ſaltem analoga eſt, ſicut Balſamum de Peru ſiccum, qvod nihil aliud, niſi Benzoës liqvida exiſtit. Accedit, qvod opobalſamum ſiccum non ex Judæa aut Arabia felici, uti liqvidum, ſed ex India Orientali veniat, reſolutioqve monſtret, qvod factitium qvid ſit ex Benzoë, terebinthina, vel potius pice communi cum ℴ︦ aliqvo deſtillato comparatum.

§. II.

Altera diſtinctio balſami petitur a colore. Veslingius in epiſtola ad Baldum Baldium duas ſpecies profert, alteram coloris *citrini* & ſvaviſſimi odoris, alterum vero *albam* non *adeo delicatam*: hinc iſtam hac eſſe puriorem concludit. Sed diximus in definitione, omne balſamum ab initio album eſſe; cujus odor forſan Veslingio ingratior viſus fuit, qvia ex recente reſina ſurgens fortius nares feriit, qvam citrina vetuſtior, cujus particulæ activæ per moram magis digeſtæ, blandius ſenſorium affecerunt. Analogiam phænomeni iſtiusmodi pleræqve aqvæ & olea deſtillata præbent, qvorum odor ſvavior eſt, qvando per dies vel hebdomadas aliqvot ſteterunt, qvam ſi recentes ab Δe venerunt. Ipſe moſchi odor ingratior eſt, Zibethumqve prorſus fœtet, qvando in pyxide naſo admoventur: qvod ſecus fit, qvando tantillum eorum & probe dilutum exhibetur.

§. III.

Diverſam colores balſami diſtingvendi rationem init Busbeqvius, qvando in epiſtola qvarta legationis Turcicæ unam albam, idemqve cum noſtro hactenus deſcripto ſtatuit, alterum autem nigrum, idqve per coctionem ramuſculorum & foliorum cum aqva in aheno inde elici ſcribit. Natat enim ſuper aqva, ut inde colligi qveat, non aliter ac Balſamum Peruvianum nigrum, qvod etiam hac ratio-

tione paratur, dum album ex arboris suæ cortice ultro, vel per intervenientem incisionem manat, & rarissimum est, uti legi potest in elegante dissertatione Excell. Frid. Hoffmanni, de Balsamo Peruviano p. 12.

§. IV.

Cum autem non solum Prosper Alpinus in dialogo de opobalsamo, Busbeqvii relationem ideo dubiam reddat, quod nunqvam nigrum ex Ægypto allatum visum fuerit, sed etiam non desint, qvi suspicantur ea, qvæ de præparatione balsami Peruviani circumferri solent, ad Opobalsamum translata esse, ideo & nos hac vice de existentia *nigri* aliqvid asserere supersedemus, donec certiora reperimus testimonia. Facit eqvidem Marxius p. 38. Der Material-Kammer nigricantis balsami mentionem, cujus verba sic se habent. Der wahre Balsam ist dreyerley/der erste ist so von sich selbsten aus dem Sträuchlein rinnet/welcher anfangs weiß/nachmahls grün und zuletzt gelb wird. Die andere Sorte aber kömmt/wann die Bäumlein zuvor geritzt werden/darauf ein etwas schwärtzerer Balsam fliest/und in die angehängte Gefäßlein tropffet; aber die dritte Art ist/die aus dem abgeschnittenen und gesottenen Zweiglein künstlicher Weise bereitet werden soll/ mit welchen offt die vorige Sorten vermischt werden. Sed satis apparet (q) ipsum nec Busbeqvio favere. Nec (r) etiam Prospero Alpino αὐτοπτῃ testi, qvi suis manibus Balsamum collegit, conformia scribere, qvando ex vulneratis arbusculis fluentem liqvorem nigricantem appellat. Qvippe ad hunc modum de colore loqvitur Alpinus. Opobalsamum mense Junio, Julio & Augusto partim sponte, partim stipite ferro scarificato destillat, in vitreaqve vascula recipitur. Qvod statim eductum colore est albo, qvi paulo post in viridem, tertio in aureum, & demum in melleum mutatur. Seqvitur hoc pacto communem resinarum, oleorumqve indolem, qvæ albedinem suam, qvam a nativitate habent, tandem in flavedinem imo rubedinem immutant.

§. V.

Cum sua jam ætate balsamum non sincerum, sed mixtum in Græciā afferri Theophrastus conqveratur, & Dioscorides variis modis id adulterari asserat, hinc operæ pretium erit, cum cura animum ad bonitatis notas adhibere, qvæ potissimum ab *odore*, *sapore*, *colore* & *consistentia*, hinc etiam experimentis, circa ejus naturam institutis, peti

solent.

ſolent. Odor Dioſcoridi eſt *validus* & *ſincerus*, non acorem præ ſe ferens. Proſpero Alpino autem adeo acris in recenti eſt, ob ⊖ volatile copioſius evolans, ut qvibusdam inter odorandum ſangvinem e naribus eliciat; qvod etiam de moſcho referunt alii, & omnino ♒tus & ⊖ia volatilia, improvide ea odorantibus præſtãt. Verũ haud durabilis eſt hæc odoris acrimonia, & vix ultra aliqvot menſes aut unum annum perſiſtit, qvia plurimæ particulæ ſpirituoſæ, ⊖inæ ♀reæ aufugiunt, reliqvæ autem, ſecundum § 2, manſvetiores evadunt, donec tandem in annoſiori balſamo, niſi id contra aëris acceſſum probe munitum fuerit, obtunduntur & prorſus pereunt; ut, ſecundum Alpinum, nec *multum*, nec *ſvaviter* oleat, verbisqve Dioſcoridis, ſeipſo deterius evadat. Hinc qvando opobalſamum ſvavitate omnes odores ſuperare Plinius aſſerit, intelligi debet (1) nec de nimis recente, neqve de admodum vetuſto; ſed de eo, qvod jamdudum aliqvot menſes ſupergresſum eſt, nec tamen multos annos duravit, ſed mediæ ætatis exiſtit. (2) Procedit aſſertum Plinii de odoramentis iſtorum temporum, ubi nec Zibethum, nec alia ſvaveolentia, v. g. olea varia deſtillata, cinamomi, caryophyll. nec non iſtæ eſſentiæ, ut ab Italis vocantur, vel olea potius ætherea, nempe de Bergamotto, Neroli, Cedro, & alia ex his compoſita, qvæ odoris præſtantia longe a tergo opobalſamum relinqvunt, inventa fuerunt. Redolet enim, imprimis antiqvius, qvodammodo terebinthinam vel thus, id qvod inter alios Alpinus, & Veslingius, in notis ad Alpinum, probe obſervarunt. Nec dubitat proinde Pechey, cypriam illi ſubſtituere: ut ex ejus Praxi med. patet. Verum vix majorem effectum inde experietur, ac illi, qvi per conjunctionem balſami de Copaiba & terebinthinæ cypriæ, cum oleis qvibusdã deſtillatis, opobalſamũ imitari, aut, qvod teſte Pomet, p. 175, Hiſt. general. Circumforanei faciunt, idem ex ſpiritu vini rectif. balſ. de Peru albo & oleis deſtillatis concinnare geſtiunt. Longius a ſcopo recedunt illi, qvi ex Benzoë & ſtorace id tentant, ſiccum potius, qvam liqvidum qvid inde reportaturi.

§ VI.

Alteram notam characteriſticam præbet ſapor, qvi, ſecundum Dioſcoridem, lingvam moderate adſtringit & mordet, idqve, teſte Alpino, cum qvadam amaritie, qvalem & nos in eo, Cypriæ terebinthinæ

 non

non absimilem, percepimus. Samueli Dale, in phytologia, p. 410, sapor est acris & aromaticus, cui alii qvoqve autores adstipulantur.

§ VII.

De colore, qvi tertiam notam characteristicam constituit, supra qvædam attulimus, reditqve res tandem eo, ut inde *primario* qvidem de ætate, secundario autem de bonitate & energia judicare liceat. Qvo magis enim adhuc albicat, eo ortui vicinius & efficacius est, qvo similius vero melli visitur, eo plures istud annos, pauciores qve vires adhuc possidere, colligi potest.

§ VIII.

Qvartam notam characteristicam præbet consistentia, qvæ alia est in balsamo ex trunco arboris ejusqve ramis fluente, & iterum alia in eo, qvod ex foliis elicitur. Prioris iterum longe diversa est substantia, qvamdiu recens existit, rursusqve alia, qvando aliqvandiu, per menses scilicet aut annos aliqvot in vasis asservatum est. Qvam-primum ex arbore venit, est, secundum Alpinum, ejus substantia turbida, crassa, ut oleum recens ab olivis expressum, postmodum tenuissima & clarissima, qvamprimum sc. ut Sethus habet, in duas partes secedens, feces ad fundum dimisit, qvæ neutiqvam abjiciuntur, sed diligenter in conchas collectæ, suos emtores inveniunt, pretio tamen omnino longe minori, ac pars defecata solet. Alia ratio est posterioris balsami, ex foliis discissis exstillantis. Hoc enim, si recte Alpini mentem assecuti sumus, qvod ipse manibus suis collegisse scribit, primis statim collectionis diebus valde tenue & subtile prodit, & per aliqvot menses ita manet, donec temporis lapsu, evanescentibus paulatim particulis subtilioribus, spissius, flaviusqve evadat: id qvod etiam balsamo, ex arbore & ramis elicito, commune est, ut post menses & annos aliqvot, colorem non solum saturatiorem, sed substantiam qvoqve spissiorem acqvirat. Æmulatur autem, qvod mediæ ætatis est, balsamum de Copaiba, vel, ut Piso habet, terebinthinam cypriam, adeo ut etiam cum hac permisceatur, monente Dioscoride, qvi temporis progressu, etiam sincerum balsamum crassescere, & seipso deterius fieri scribit; donec sc. ut ex superioribus patet, more resinosis rebus solenni, prorsus solidi corporis habitum assumat.

§ IX.

Vidimus hactenus signa balsami, qvæ diagnostica qvidem, sed

non

non pathognomonica tamen, (ut Medici de morbis loqvuntur) sive propria qvarti modi dici merentur; cum unum eorum itemqve alterum in aliis etiam corporibus occurrat. Qvale est, qvod Schurzius p. 16, der Material-Kammer adducit, balsamum, manus volæ instillatum, ad ejus dorsum penetrare; cum idem de oleo petræ, destillatisqve subtilioribus dici soleat. Magis igitur proprium balsamo est, qvando apud Dioscoridem legimus, *sincerum, in laneum pannum instillatum & elotum, nec maculam inducere, nec notam relinqvere.* Confirmat hoc phænomenon Sethus, & insuper, nescio qvam, lotionem balsami cum aqva prius instituendam, unicamqve saltem guttulam panno subtili cymatili, ex pilis caprinis contexto, instillandam esse putat. Sed nec Dioscorides, nec Alpinus harum circumstantiarum mentionem faciunt, neqve etiam Castellus nos movere debet, qvi maculam panno, Barcane dicto, a balsamo impressam, & post biennium demum inde deletam vidit, qvam sine dubio non vidisset, si Dioscoridem secutus, elotionem ante balsami in panno exsiccationem instituisset, aut non nimis vetustum, viscosiusq; aut plane adulteratum adhibuisset: cum de hoc Dioscorides, id panno adhærere, annotaverit.

§ X.

Altera nota apud Dioscoridem est, *qvod lacti infusum ipsum coagulet, adulteratum non faciat.* Cum vero sæpius cum sincero institutum experimentum non æqve processerit, in mentem venit nonnullis, Dioscoridis textum esse corruptum, & proinde ita explicandum, ut lac non a balsamo, sed hoc ipsum potius, in istius superficie natans, inde coagulari dicatur. Enimvero Prosper Alpinus sustulit hanc difficultatem, scribens, qvod coagulatio non nisi a recentissimo expectanda sit, ex qvo ♁us acidulus, nares ad hæmorrhagiam sollicitans, nondum evolavit.

§ XI.

Tertium ex propriis signis est, qvando balsamum, ex Dioscoridis relatione, *infusum lacti aut aqvæ cito diffunditur; adulteratum vero, velut oleum, instar globulorum innatat, ita ut in orbem contrahatur, aut stellæ modo distrahatur.* Est autem hoc phænomenon non de cujuslibet ætatis succo intelligendum, qvia per senectutem crassior redditus, teste Alpino, *in aqva subsidet, ut lente super aqvam feratur,* ac tardissime in ea dissolvatur: cum e contrario recenti-

er semper aqvæ superficiem occupet, nisi vi qvadam submergatur. Hinc qvando Dioscorides eos erroris accusat, qvi sincerum balsamum, in aqva primum in profundum secedere, deinde autem facile diffundi ac supernatare arbitrantur; videtur non ad eam circumstantiam attendisse, qvam Alpinus docet. Nimirum etiam *recentem liqvorem, ex alto projectum, parumper mergi in aqvam, sed continuo assurgere, & supra totam aqvæ superficiem totum expandi.*

§ XII.

Qvartum signum offert *mutatio consistentiæ* & *coloris*, qvando nimirum super aqva expansum natans, *in ea*, verbis Alpini, *paulo post concrescit & coagulatur, coagulatumqve totum stylo ab aqva eximitur; qvod tunc colore lactescit, sive album, ut lac visitur.* De lacteo ejusmodi colore idem qvoqve statuit Dioscorides, qvem nonnulli obiter legentes, aqvam a balsamo lactescere frustra opinati sunt. Nobis licuit hactenus recitata experimenta omnia Amstelodami, apud Dn. Sebam oculis cernere, ubi insuper ab initio varios colores, iridem repræsentantes, mox tamen evanescentes, observavimus. Varia simul tunc temporis circa balsamum de Copaiba & oleum juniperi tentavimus, visuri, num hoc solum, secundum nonnullos, illud vero cum oleis destillatis mistum, phænomena opobalsami exhibiturum sit. Sed decollavit expectatio, qvamvis isti oleum caryophyllorum, strobilorum pini & alia adderemus; hoc vero recens & vetustum adhiberemus.

§ XIII.

Agmen signorum claudit notatum a B.D. Volkamero, in exam. opobalsam. criterium, qvod hoc non diffluat ferro ignito instillatum, more reliqvarum resinarum, sed, in globulum magis collectum, evanescat.

§ XIV.

Adduximus hæc latius, ne vel minimum signum boni & sinceri balsami amplius lateat. Multa qvidem recitavit Dioscorides & Plinius, ipsi admisceri solita; sed adhuc plura excogitavit avaritia, & mala mens venditorum pretiosi hujus succi: qvorum fraudes haud difficulter tamen per hactenus dicta detegentur. E.g. si fraus cum oleis est facta, guttula opobalsami, ▽æ instillata, expanditur partim, partim conglobatur. Si cum terebinthina & balsamo de Copaiba, idem fere fit, aut particulæ plane ad fundum abeunt, estqve amarities major,

jor,

jor; qvalis etiam ex ſucco, ſive oleo Carpobalſami venit. Mel additum prodit dulcedo, & qvod muſcas alliciat, qvas balſamum verum, propter amaritiem potius abigit. Reſina & cera reddunt ſubſtantiam ſpiſſiorem, obſcurioremqve, qvæ carbonibus impoſita emittit fumum nigriorem.

CAPVT III.

De Balſami loco natali.

§ I.

PLinium unius Judææ balſamum indigenam ſtatuiſſe, ex ſuperioribus cognovimus. Aſt Dioſcorides in Judææ qvadam valle non tantum, ſed & in Ægypto id ipſum naſci ſcribit. Alii Indiam, alii vero Arabiam potius ejus patriam & natale ſolum eſſe aſſerunt.

§ II.

De Judæa qvidem nullum dubium eſt, in ea plusculas arbores qvondam inventas fuiſſe: qvamvis non æqve ex Geneſeos cap. 37 & 43, multisqve aliis locis, in qvorum Germanica verſione nomen *balſami* expreſſum legitur, certi aliqvid concludi qveat: cum non eadem appellatio in Hebræo codice reperiatur. Neqve etiam vero ſimilis videtur opinio Joſephi, ſtatuentis, reginam Sabæ inter reliqva dona, Salomoni offerenda, plantas qvasdam vivas balſamiferas attuliſſe, primasqve in Palæſtinam intuliſſe, qvæ poſtmodum ſtudioſe cultæ & multiplicatæ integros hortos impleverint. Qvod ſi Plinio credimus, tempore devaſtationis Hyeroſolymarum ſedulo hisce arbusculis a Romanis fuit proſpectum, ne Judæi ex invidia eas eradicarent; & poſt triumphum Titi Veſpaſiani duo horti, iisdem arbusculis conſiti, qvorum major XX jugerum erat, fuere conſervati, ex qvibus fiſcus Romanus ſingulis annis ad DCCC aureos accepit.

§ III.

An vero certis tantum in locis, in valle ſc. Hierichuntica, Judæi ejusmodi arbores coluerint, & lege aliqva eas alio in loco plantare prohibitum fuerit, eæqve tandem ex Judæa in Ægyptum translatæ ſint, Theopraſtus, Plinius, Juſtinus, Strabo, aliiqve talia ſcribentes defendent. De ubertate balſami in Palæſtina, & Babyloniæ regione loqvitur Galenus, lib. 1, de antidotis. Imo liqvorem tam nobilem in orientalibus regionibus qvondam minime rarum fuiſſe, exinde patet,

 qvod,

qvod, teste Petro Damio, in epistola qvadam, non solum pro lampade, ante aram principis Apostolorum per totum annum conservanda, sed etiam in septem aliis Ecclesiis in usum lampadum suffecerit: scribitqve Anastasius Bibliothecarius, in vita Sylvestri, qvod Ecclesia S. Petri ex fundis, ipsi in oriente a Constantino donatis, singulis annis in reditus habuerit balsami libras CXXV; Ecclesia vero S. Pauli libras L.

§ IV.

Post Judæam merito nominanda venit Arabia felix, ubi arbores balsamiferæ non solum in hortis cum cura coluntur, sed etiam, qvod Theophrastus qvondam negare ausus est, in sylvis sponte proveniunt: uti non tantum veteres, Strabo, Pausanias, Diodorus Siculus & Cornelius Tacitus, sed recentiores qvoqve testantur, Veslingius & Prosper Alpinus. Hic enim suis oculis vidit has arbores copiosas circa Mecham, metropolin Arabiæ felicis, & qvidem in montibus arenosis, unde liqvor ipse Balsamum de Mecha audit, qvod incolæ colligunt & venale Mechæ exponunt, ubi a mercatoribus Ægyptiis aliisqve emitur, & Memphim, inqve alias regiones exportatur.

§ V.

Affertur qvoqve non parva qvantitas balsami ex urbe Medina, & lætissima prope Bedrunium, villam Arabiæ, viridaria ex hujus generis arboribus exstructa exstant, aërem mira odoris svavitate replentia. Sed maxima eorum pars interiit, cum Alpinus ibi esset, non sine magno damno incolarum: qvale alii etiam incurrerunt, qvi, ut lucrum, ex notabili pretio balsami in venditores ejus resultans, præsentius majusqve sibi compararent, arbores ex locis montanis, siccis & arenosis, in solum viridariorum pingvius transplantarunt, uberiorem ibi succi proventum sibi promittentes. Verum cum illæ, mutationem loci & nutrimenti minime ferentes, exarescerent, cultoresqve eorum operam suam cum concepta spe perderent, severe omnes ejusmodi transplantationes a Præfectis prohibitæ fuerunt, invaluitqve adeo rigor legis, ut, sine magistratus præscitu, ne hodie qvidem possessoribus arborum in viridariis suis eas amputare, aut balsamum inde colligere liceat: ut scilicet omnis corruptio earum avertatur.

§ VI.

Haud cessant tamen Turcæ, terrarum istarum domini, pro lubitu germina præstantissimæ hujus plantæ aliorsum, & inprimis in Ægyptum

gyptum transferre, ubi locum ipſis commodum juxta Mataream, vicum magnum, qvarto aut qvinto lapide ab urbe Memphi diſtantem, invenerunt. Coluntur ibi in horto, muris cincto, cujus portas milites obſident, ne qvis invito Præfecto Turcico ingrediatur. Capitis enim pœnam is ſubit, qvi, absqve ſpeciali permiſſu, ramulum ex arbore decerpſerit. Qvod ipſum cum unus ex comitibus Villamontii, Eqvitis S. Sepulchri, imprudens feciſſet, non niſi ſoluta pecunia, vitæ periculum evaſit, vid. lib. 3 peregrinat. cap. 13.

CAPVT IV.

De Arbore ipſa, ejusqve partibus.

§ I.

Fontem opobalſami vocat Dioſcorides *arbusculam*, qvia, ſecundum Theophraſtum & Alpinum, trium ulnarum longitudinem non multum ſupergreditur. Unde qvamvis, Dioſcoride autore, prout ea in Judæa & Ægypto naſcitur, *ipſa a ſe ipſa aſperitate, longitudine & gracilitate* differat, neutiqvam tamen Ballonio, qvi eam *vix pedalem* facit, fidem habemus, niſi de trunco tantum loqvatur. Rajus numerat eam inter *plantas viticoſas*. Expanditur in plusculos ramos rectos, graciles & parum nodoſos, qvi, una cum trunco, cortice *externo* ruffo, aromatico & ſvaviter olente, *interno* vero viridi, ſapore ſaturejam, odore cardamomum referente, teguntur. Lignum eſt album, ſibiqve relictum inſipidum pariter ac inodorum. Hinc qvando Alpinus, & alii ipſi ſubſtantiam gummoſam odoratam tribuunt, id tantum de ligno, cortice ſuo adhuc tecto, valet. Hic enim, inprimis in ramulis, a reſina exſudante prorſus viſcoſus eſt, nec per *Xylobalſamum*, Dioſcoride teſte, niſi *tenuia ſarmenta* intelliguntur, qvæ qvotannis reſecta in ciſtulis plumbeis exportantur. Sed ad nos delata utplurimum notas ſinceritatis, a Dioſcoride expoſitas, non amplius exhibent. Qvatenus ſc. colorem *fulvum* in *cineritium* mutarunt, *odoremqve* opobalſami, qvem ſpirare debebant, fere amiſerunt; ut ideo recte a Londinenſibus Xylobalſamo effœto, & ſæpe carioſo, lentiſcinum aut aloes lignum ſubſtituatur.

§ II.

Arbor viret perpetuo, nec, qvod Lobelius habet, menſe Decem-

cembri calva evadens, Martio demum revireſcit. Folia alit pauca, terna, qvina, aut ſeptena, ſec. Alpinum, alis adnata; ratione figuræ ad *rutam* accedentia, ſed candidiora. Alii folia amaraci, nimirum cum adhuc teneriora ſunt, alii lentiſcina, pennata, & qvalia in fraxino aut juglande occurrunt, ipſi tribuunt. Flores ſunt parvi, albi, ſimiles floribus acaciæ noſtræ, pentapetali, terni, ſingulis alis per tenues petiolos appenſi, & in medio multa ſtamina gerentes, odoris ſvaviſſimi, ex qvorum centro fructus ſeqvuntur, qvales terebinthus profert, in medio craſſi, circa extrema vero aculeati, nomine *Carpobalſami* in officinis venientes. Vulgo vocantur *baccæ*, ſed improprie. Sunt enim grana oblonga, flava, folliculo ab initio viridi, hinc ſubrubente, tandem nigro, aſpero, qvatuor ſtriis, ſive coſtis, notato tecta, & intus humorem flavum, melli ſimilem, habent, ſuntqve inſuper, ſec. Alpinum, *valde* odorata, & redolent opobalſamum, habentqve ſaporem *amarum, parum acrem, & lingvam ferientem.* Dioſcorides fructum flavum, plenum, magnum, gravem, *in guſtu mordentem*, fervoremqve inducentem, & *moderate* opobalſamum ſpirantem eligere jubet. Multum itaqve fallitur Dale, in phytologia, p. 410, *ſaporem* gratum ipſi tribuens, inciditqve ſine dubio in ſuppoſititium Carpobalſamum, qvale non tantum Dioſcoridis tempore, hyperici fructui ſimile, ab oppido Petræ afferebatur, ſed hodie etiam ex Caſſia Caryophyllata & Pimenta deſumi dicitur, ut proinde verum raro in noſtris officinis occurrat.

CAPVT V.

De Balſami collectionis tempore & modo.

§ I.

Tempus collectionis a Dioſcoride definitur diebus canicularibus, medio nempe menſis Julii & Auguſti, qvod Villamontius, l.c. ad ſolum Auguſtum reducere videtur: cum Alpinus contra ea, præter Aug. Jul. non ſolum, ſed Jun. etiam nominet. Conſtituuntur tunc a Præfectis certi dies, & qvidem, ut nonnulli putant, circa plenilunium, qvia tunc ſuccus arborum balſamiferarum ad ἀκμὴν pervenit, optimeqve excoctus & maturatus eſt, ut in tubulis corticis turgens, vel ipſe eos rumpat, aut ex disciſſis, tanqvam per apertam portam effluat. Alia ratio eſt Carpobalſami, qvod autumno demum, qvando juſtam ſuam maturitatem adeptum eſt, ſimul cum Xylobalſami ramulis ſuperfluis, & arbori oneri futuris, aufertur.

§ II.

§ II.

Vulnerantur autem, ubi balſamum non ſibimetipſi exitum paravit, *præter truncum*, etiam *rami*; qvamvis ex his Petrus Collicula, in reſponſione ad epiſtolam Manfredi, parciorem effuſionem ſucci, expectandam eſſe ſcribat, qvæ ſine dubio, parciſſima ex foliis erit. Nec veró tumultuarie iſta vulnera infligantur, adſunt homines, a Magiſtratu conſtituti, & æqve huic negotio aſſveti, ac illi, qvi corticem cinamomi ab arbore ſua abſtrahunt. Hi ita corticem ſecant, ut vix ad alburnum penetrent, nulloqve modo lignum lædant. Ne ſcilicet ex hoc, profundius ſauciato, nutrimentum arboris qvoqve exeat, eaqve poſtmodum exareſcat. Qvod ut evitetur, adhibent inſtrumenta non admodum acuta, inprimis in arboribus tenerioribus. Præcavetur etiam hoc pacto omnis fraus circa decimas, qvas poſſeſſores arborum de collecto earum ſucco Superioribus pendere debent, qvando per viros, a Præfecto dependentes, res peragitur.

§ III.

Inſtrumenta, qvibus collectores utuntur, ſunt, ſecundum Dioſcoridem, *ungves ferrei, qvi ab Alpino*, abſolute *ferrum* appellantur. Fruſtra igitur Tacitus omni ſtudio inſtrumenta ferrea prohibet, teſtamqve vel lapidem acutum commendat, qvaſi vero arbor ferro læſa contabeſcat. Cum, Veslingio teſte, hæc cautela Matareæ & in illis tantum locis obſervetur, ubi arbor non æqve indigena eſt, aut rarior exiſtens, ſolicitudine ad ſuperſtitionem magna colitur; dum in Arabia felici qvodlibet inſtrumentum adhiberi ſolet. Laudet itaqve Theophraſtus ungves humanos; Paulus Jovius, lib. 17, de bello Selymi contra Sultanum Tomimbejum, cultellos eburneos; Plinius vero & Solinus inſtrumenta, ex vitro, vel lapidibus, vel oſſibus facta: modo, Rajo judice, certum fuerit, nullum inſtrumentum, ex qvacunqve etiam materia ſit elaboratum, nocere, niſi eodem vulneratio intempeſtive aut improvide inſtituatur.

§ IV.

Liqvor excipitur vaſculis arbori alligatis, iisqve vel ex cornu paratis, qvæ Plinius optima cenſet, vel plumbeis, vel ligneis, vel deniqve vitreis, ut Alpinus habet. Ad nos ſemper apportatur in lagenulis plumbeis, viditqve Pomet Pariſiis, 1687, earum duas, ℥XIV opobaſami impletas, qvæ a Turcarum Imperatore, Madame de Villeſarin, dono miſſæ fuerunt.

§ V.

§ V.

Qvantitatem collecti liqvoris variat non tantum anni tempestas, prout ea magis vel minus calida & serena, aut inconstans & turbida fuerit; sed ordinarie etiam arbores, in arenoso solo hærentes, parcius simul & acrius balsamum plorant; copiosius autem & temperatum magis, in viridariis ex terra pingvi, cum arena mista, aut alba limosa provenientes, qvalem Borchardus Argentoratensis, ordinis Prædicatorum, referente Vossio, lib. 2, de Historicis Latinis, medio fere inter Heliopolim & Babyloniam loco, in horto qvodam balsamifero, longitudine sua jactum duorum arcuum, latitudine vero lapidis jactum æqvante, observavit.

CAPVT VI.

De resolutione chymica & medicamentis, ex opobalsamo parandis.

§ I.

CVm jamdudum satis bona ac pura defæcataqve sit substantia Opobalsami, inqve fluida non minus forma usurpari, qvam cum siccis corporibus mixta, facile in pulveres, pilulas, bolos, &c. absqve ulla virtutis suæ imminutione, mutari qveat: certe ridiculum videtur, per Chymicas encheireses & torturam ignis, ex nobilissimo liqvore nativo, nobilius qvid artefactum producere velle, egregiamq; ipsi a natura concessam misturæ crasin, per violentam διάκρισιν pessundare. Nemo proinde a nobis postulabit, ut in spiritu aliqvo, aut ⊖ volatili, oleoqve, inde extorqvendis, operam simul & multos sumtus temere perdamus.

§ II.

Qvod si tamen omnino aliqvid pro augmento & ornatu pharmacophylacii, conandum fuerit, sufficerit nobis excell. Hoffmannum imitasse, & ad normam ♎us, ex balsamo Peruviano parati, simile qvid in opobalsamo tentasse. ℞ opobalsami part. iij, ⊖ ♀ p. i, misce exacte in mortario calido, affunde ♎ rosarum vel rorismarini, ad eminentiam qvatuor digitorum, fiat per unum diem digestio, postea vero destillatio △ leniori, sic acqvires ♎ valde delicatum, ad usus, in seqventibus recitandos, misturamqve, cum aliis medicamentis instituendam, valde opportunum. Haud absimili ratione ex Benzoë, succino, myrrha, ligno aloës, santalo citrino & storace egregii ♎ ner-

nervini, & cephalici producuntur. Nec inelegans etiam modus eſt, 🝆 aliqvod valde penetrans ex opobalſamo, ſimilibusqve corporibus reſinoſis eliciendi, qvi in ſpecimine tertio, cap. X, Laboratorii Chymici Johannis Andreæ Stiſſeri, invenitur.

§ III.

Qvod ſi Spiritus ejusmodi, denuo novo opobalſamo ſuperfunditur, facillimo negotio, penetrantiſſima Eſſentia inde habetur; cum etiam per ſolum Spiritum vini rectificatum parata, jam ſatis efficax ſit, odore ſvavi & colore citrino prædita, qvæ aëri frigidiori expoſita, egregios floſculos, in medio liqvore natantes, concipit, fulgentes inſtar amianthi, & leviſſimos, inſtar goſſypii aut lanæ carptæ. Horum ſapor lenis eſt & blandus, haud vero mordax, ut florum benzoës eſſe ſolet, qvibus, ex opobalſamo ſicco aſſurgentes, valde ſimiles guſtavimus.

§ IV.

Cum enim, exercitii gratia, ſiccum ejusmodi opobalſamum in vitrea retorta igni committeremus, prodibat ab initio parum phlegmatis aciduli, hoc ſtatim ſeqvebantur miculæ, inſtar ⊖is volatilis, poſtea materia aliqva unctuoſa, in frigido loco conſiſtentiam & colorem butyri liqvati, iterumqve coagulati aſſumens, odorem vero benzoës referens, qvæ, △ admota, abibat in oleum flavum, qvod ▽ inſtillatum in tres partes ſeparabatur, nempe in oleum ſubtile, aqvæ ſupernatans, & craſſum, fundum petens; mediam vero regionem obtinebant multi flores, figuram ſtellæ aſpicienti præbentes, ſaporem autem acrem, ut flores benzoës habentes; & hoc pacto, *parentes* opobalſami ſicci, benzoën & terebinthinam eſſe, ſatis clare teſtificantes.

§ V.

Ad fluidas formas, balſamo noſtro ſuperinducendas, pertinet etiam *Emulſio*, in gratiam hominum delicatorum excogitata. Nimirum, teruntur guttulæ aliqvot ejus cum vitello ovi, & affunditur qvantitas ſufficiens ▽æ namphæ, roſarum, cinamomi, vel alia, intentioni Medici reſpondens, adduntur qve conſiſtentiæ & ſaporis cauſa, amygdala dulcia, vel pineæ cum modico ſacharo.

§ VI.

Mediam conſiſtentiam retinent in officinis ungventa, inter qvæ apud veteres tria præcipua erant, a B. Volckamero l. c. deſcripta. Qvorum primum, *Megalium* appellatum, ex 🝆 balanino, opobalſamo,

mo, junco, xylobalſamo, caſſia & reſina: alterum autem, *Foliatum* vel *Nardinum* dictum, apud Romanos celebre, ex omphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha & balſamo fiebat. Tertium *Regale*, a Parthorum Regibus inventum, ex myrobalano, amomo, cinnamomo, coſto, cardamomo, ſpica nardi, maro, myrrha, caſſia, ſtyrace, ladano, opobalſamo, calamo, junco Syrio, oenanthe, malabathro, erichalo, cypero, aſphalto, panace, croco, amaraco, melle & vino concinnabatur. Obſoletis hisce, & ne nomine qvidem, in officinis hodie amplius notis, merito ſubſtituuntur iſta ungventa, ex oleis odoratis concinnata, qvæ, ſive ea ingrediatur opobalſamum, ſive non, *balſamorum* tamen nomen ſibi vindicarunt.

§ VII.

Siccarum formarum exempla ſiſtunt *Elæoſaccharum*, ex ſacchari Canarienſ. ℥i, & opobalſami ʒß, interveniente tritu parandum, & *Pilulæ*, variis ſcopis, in ſeqq. nominandis, inſervientes; nec non *masſæ odoratæ*, ſub *pomorum* nomine, in manibus gerendæ, modo opobalſamum primarium eorum ingrediens fuerit. Qvibus annumeratur famoſum ovum D. Jacobi, maſſa ſcilicet ex opobalſamo & aliis reſinoſis rebus, in ovi figuram coagmentata, qva non ſolum Regem Hiſpaniæ, valde debilem, priſtinæ valetudini reſtitutum, ſed multos alios qvoqve homines, a gravibus pathematibus liberatos eſſe ajunt, ut fuſius videre eſt in clave Schrœd. p. 577.

CAPUT VII.

De liqvoris balſami arboris, nec non fructus ejus ramulorumqve uſu pharmacevtico atqve Chirurgico.

§ I.

POſtqvam Dioſcorides ſatis prolixe utilitates Opobalſami recitaverat, tandem ita orationem finiebat: *in ſumma, efficaciſſimam vim liqvor balſami habet, ſecundam fructus, minimam lignum.* Ut autem diſtinctius vires pateant, per ſingulas corporis regiones ibimus, viſuri, qvid unicuiqve inde ſperandum ſit. Primo autem loco occurrit dolor capitis, cui opobalſamum egregie medetur, ſi is originem a cauſa frigida, & materia viſcida atqve acri trahit, qvam illud reſolvit, & ſpicula 🜔ina obtundit. Optime hic ſe gerit, præter alia, *pulvis Cephalicus*, egregia officia Clariſſimo cuidam Practico ſæpius præſtans,

cujus

cujus descriptio hæc est: ℞. pulv. marchion. cinnab. ℥ij aã ℈i ambr.gryſ. grij, opobalſ. gt iij. M. pro 2 doſibus.

§ II.

In affectibus ſoporoſis & ſpaſmodicis maxima eſt efficacia ſpiritus & *eſſentiæ*, qvibus etiam decoctum carpobalſami & ramulorum opitulatur. Similis res eſt in paralyſi, vertigine, & aliis affectibus, qvi a defectu ac irregulari motu ſpirituum animalium proveniunt: videatur Rajus, in hiſtor. plant. p. 1757. Reſtituunt enim particulas ſangvinis balſamicas vitales, & ſpiritus animales augent, eosqve in motu legitimo conſervant, teſte Exc. Bernhardo Valentino, in Muſeo Muſeor. p. cit. ubi ſeqventia habet: Was die Krafft und Würckung dieses wahren Orientaliſchen Balſams anlanget / ſo werden demſelben vortreffliche Tugenden zugeſchrieben / und iſt billig vor die jenige Salbe in Gileath / welcher in der Heiligen Schrifft gedacht wird / zu halten / er ſtärcket die Natur / und Lebens-Geiſter / und ermuntert alle Sinnen.

§ III.

Ad viſus debilitatem nervina, ſpiritus reficientia apprime conducere, noto notius eſt: nec ultimum inter illa locum opobalſamum occupat, in qvacunqve etiam forma detur; adeo, ut ne gutta ſerena laborantes, ex ejus uſu continuato, omnino nullum auxilium ſperare qveant. Externe uſurpatum, vocatur a Dioſcoride *efficaciſſimum remedium, ea, qvæ pupillis oculorum tenebras affundunt, detergens*. Hinc apud Plinium legimus, id non ſolum oculorum claritati multum prodeſſe & caligině diſcutere; ſed auribus qvoq; ſuppetias ferre, prout ſc. hæ nervos roborantibus, materiam viſcidam reſolventibus, halituoſamq; & intus peregrinos ſonos formantě, diſcutientibꝰ opus habent.

§ IV.

In palpitatione cordis & lipothymia, nulli remedio cedit ſpiritus & eſſentia. In pulmonum affectibus, ubi aut materia viſcida eſt incidenda, aut acris corrigenda, aut vulnus conſolidandum, ulcusqve mundandum, & ab ulteriori putredine retrahendum, inſigně laudem, omnes arboris balſamiferæ partes, apud veteres pariter ac recentiores meruerunt. Hinc Dioſcorides, liqvorem in ſubſtantia, fructum vero & lignum in decocto, ad aſthma, tuſſim, plevritidem, peripnevmoniam & orthopnœam commendavit. Alpinus opobalſamum in bolo & linctu ad ulcera pulmonum; decoctumqve carpobalſami, ceu ſpecifi-

cum ad tussim, præscribit. Opobalsamum in phthisi cum euphoria Rosinum Lentilium exhibuisse, ex Miscell. ejus Med. pract. patet, vidimusqve Lugduni Batavorum, in Nosocomio, apud D.D. Gottofredum Bidloo præsentissimam ejus efficaciam in pulmonum vomica.

§ V.

Ex eodem fundamento in hepatis & renum abscessibus laudatur ab Alpino, qvi, una cum Dioscoride & Veslingio, adversus stomachi debilitatem, tormina ventris, flatus, dysenteriam &c. ex hoc vegetabili auxilia promittit. Subjungimus exempli loco, pilulas stomachicas, Cæsareæ Majestati familiares, & a D.D. Kochio, Physico Spirensi celeberrimo, nobiscum humanissime communicatas. ℞. Pulv. mastich. elect. ℥iij, opobalsami veri, q. s. ad formandas pilulas. Dosis est ʒß l. ℈ii sumanturqve mane. His alias confortantes addimus: ℞. Mastich. elect. oc. 69, aā ʒi. theriac. cœlest. griij. ℈ cinnam. gt. ij. opobalsami veri q. s. M. f. pil. ex ℈i no XV, pro una dosi. B. Christianus Joannes Langius, p. 22, Colleg. pract. in dysenteria, & aliis viscerum erosionibus, balsama & balsamica valde extollit, cum fibras & vasa disrupta consolident, spiculaqve ⊖ina involvant, ne amplius intestinorum tunicas lacessent. Hinc excell. D. Franck, Archiater Regis Poloniæ, in dysenteria pulverem, ex radicibus acori & opobalsamo paratum, optimo cum successu, multis dysentericis exhibuit. Huc qvoqve pertinet oleum carpobalsami expressum, qvod ab Arabibus in malo hypochondriaco & colica, cum euphoria adhibetur: teste experto Episcopo Ragusino, Friderico Augusto Stephano, referente B. Volckamero, in exam. opob.

§ VI.

In calculo, stranguria, exulceratione renum, aliisqve eorum morbis, nec non in gonorrhæa, benigna æqve ac maligna, fluore albo, lue ♀rea ipsa, aliisqve morbis ♀reis, impense laudantur e balsamo desumta. Descripsimus cap. præc. § 5, Emulsionem, huc spectantem, cui adjungimus pilulas, valde proficuas, a Pechey in promt, prax. Med. p. 236 descriptas: ℞. M Pill. Cochiar. major. ʒiij, extract. Rudii ʒj, resin. Jalapp. & diagryd. aā ʒß, opobalsami, q. s. F. pill. ex singulis drachmis no. vi. Alii vero compendiosius ex sacchara & opobalsamo pilulas concinnant, in gonorrhæa etiam laudandas.

§ VII.

Ad *uteri perfrigerationes* miscet Dioscorides opobalsamum cum

cerato

cerato rosaceo, & ex carpobalsamo parat suffitus muliebres, qvos fœminas Ægyptias, ad tollendam sterilitatem adhibere, simulqve decoctum horum fructuum bibere, Rajus autor est. Imo extenditur usus horum pharmacorum ad plerasqve affectiones muliebres, menses scil. obstructos, passionem hystericam, chlorosin, lochia suppressa, retentionem secundinarum, partum difficilem &c. aperiunt enim, pellunt, roborant, nervosqve confortant. D.D. Enth, Eph. Germ. D 3, An. 5 & 6, ob. 224, adversus *apnœam hystericam*, ut vocat, feliciter usus est opobalsamo, non solum in substantia, ad gt. 20 l. 30, ter qvotidie in potu thee, vino canariensi, ovoq; sorbili propinato, sed etiam cum Spir. ☽ dulc. & essent. LL. mixto. Eligit autem tantum balsamum, ex arbore sudans, idqve non solum ex frondibus, per expressionem coctionemq; parando, sed per incisionem qvoqve ex trunco & ramis prolecto, & hactenus cum sponte exstillante passim in eodem pretio habito, longe præfert.

§ VIII.

In peste, febribus malignis, morsibus animalium venenatorum, & contra venena vegetabilia, ore hausta, balsamum tutum est præsidium, ingrediturq; theriacam. Arabes contra serpentum morsus & in peste assumunt interne ℈j; præservat enim corpus a putredine, ut proinde inter species, ad pollincturam corporum magnatum adhibendas, primarium locum obtineat, secundum D. Andreæ tract. de balsamatione. Apud populos orientis lavantur corpora vino palmarum, & omnis sangvis eluitur, hinc unguntur per 30 dies opobalsamo, ventres autem implentur aromatibus. Id qvod tamen neutiqvam de mumiis, qvas hodie ad nos ferunt, intelligendum est. Has enim materiam longe viliorem, bitumen sc. & asphaltum constituere constat: de qvibus legi merentur, qvæ exc. Wedelius p. 231 pharmac. acroamat. Valentini in Museo Mus. Petrus de Valle, Kempferus & alii habent. Lugduni Batavorum ostenditur in theatro Anatomico mumia, de qva constans est opinio, eam Regis Ægyptiaci corpus esse, ante octodecim secula opobalsamo conditum, cujus portionem adhuc eqvidem in cistula, ibi apposita, conservari vidimus; sed nihilominus tamen conseqventiæ valorem asserentibus ostendendam relinqvimus.

§ IX.

Qvod de virtute travmatica circa viscera asserimus, multo evidentius in vulneribus & ulceribus externarum partium patet, qvibus

cito

cito & eleganter, sine metu graviorum symptomatum, & absqve fœdis cicatricibus medetur, etiamsi ad nervos ipsos læsio pertigerit. Præstat ejusmodi *consolidandi effectum* per accidens qvasi, & indirecta causandi ratione. Neqve enim directe τὸ γλισχρὸν & *gluten naturale* respicit, idqve restituit atqve auget, sed, putredini potius resistendo, & tonum partium fortificando, agit, qvatenus non tam alimentares, qvam resinosas præcipue particulas possidet, qvæ etiam, cum minime pingves sint, sine damno immediate ossibus applicari possunt, dum ungventa certo certius illis nigredinem inducunt.

§ X.

Tandem nec cosmetica opobalsami virtus, reticenda est, qvam istud hoc modo præstare dicunt, si sec. App. Eph. N. C. an. 6, Dec. 2, p. 190, solutioni opobalsami, per spirit. vini rect. factæ, olei rosarum destill. guttulæ aliqvot adduntur, & modica pars hujus misturæ in ▽ sigil. Salom. aut lil. alb. projicitur, id lacteum colorem assumit. Enim vero vix plus præstabit hic liqvor, ac Essentia benzoës, qvæ ipsa qvidem, cum aqva confusa, albescit, sed nihil minus, qvam cutem albam reddere valet, si vel maxime ambræ vel moschi essentia superingeratur.

§ XI.

Ultimus usus, hac vice a nobis allegandus, est, qvando ad *unctiones Regum* adhibetur. Haud vero operose disqviremus, an chrismata veterum hic succus intraverit, & pro unctione Pontificis oleum olivarum huic balsamo admiscuerint, ut Volckamerus vult: an vero, secundum Conringium, qvodvis balsamum nativum usui ejusmodi fuerit aptum. Nobis sufficiet in præsentia, descriptionem olei delicati, qvo Rex Angliæ, Wilhelmus, unctus fuit, producere. ℞. Opobals. bals. Peruv. albi aā ℥j, ☍ rosar. destillat. veri, cinnam. caryophyll. aā ʒij, Moschi, Zibethi, aā ʒj. M.

CAPUT VIII.

De succedaneis balsami.

§ I.

CUm Turcæ, in Oriente rerũ potiti, qvondam commercium cum Europeis Christianis interrumperent, cogebantur Medici, antiqva medicamenta paraturi, inter alia etiam aliqvid opobalsamo substituere, qvod si non vires æqvaret, ejus locum tamen in composito

tuere-

tueretur. Abierunt autem Autores in diversas partes, qvilibet pro suo captu. Doringius, in tractatu de succino, hoc ipsum crudum, ejusqve oleum adhibet in compositione theriacæ. D.D. Ettmullerus, in notis ad Schrœderum, laudat Cardamomum, ℴ℘ caryophyll.& balf.de Copaiba. Qvorsum Pechey terebinthinam cypriam extulerit, supra audivimus, qvod ipsum alii qvoqve faciunt, addentes oleum juniperi. Thom. Bartholinus, in diss. de comp. ther. p. 29, inprimis balsamum de Peru commendat, reputans Hispanis, si nullam aliam utilitatem ex investigatione Americæ traxissent, solam tamen inventionem hujus balsami satis magnum præmium laborum extitisse. Idem Itali & Galli, Germaniqve nonnulli qvoqve statuunt. Moysi Charas placet ℴ℘ NM. expressum; Danieli Koschwitz, in Schrœdero illustrato, ℴ℘ caryophyllorum, vel succini, vel balf.de Tolu; aliis aliud. Nobis inter reliqva, opobalsamo surroganda, nullum aptius videtur balsamo de Peru albo, qvod, odore & viribus insigne, jamdudum passim haberi potest.

§ II.

Ex hactenus commemoratis patet qvidem, qvo jure Arabia super alias regiones caput efferre qveat, vel ob solum opobalsamum *felix* appellanda. Enim vero adeo æqva & benigna semper fuit natura, ut nulli gentium, qvæ ad tuendam valetudinem, morbosqve profligandos necessaria sunt, denegaverit, & reperiuntur omnino etiam in nostratibus vegetabilibus succi, omni laude digni, modo rite investigentur. Qvis nescit, ex oculis populi tempore veris resinam rubellam, bene odoratam & valde travmaticam colligi? radici Carlinæ subinde lachrmæ resinosæ, sponte erumpentes, adhærent. Qvid non de aliis odoratis & acri sapore præditis, imperatoria v.g. angelica, levistico &c. sperandum? Vidimus apud celeberrimum le Mort ex radice Petasitidis, in taleolos discissa, resinosum qvid guttatim exsudare, qvod aromatico & amaricante suo sapore haud vulgarem in foro medico energiam promittebat. Patet curiosis amplissimus campus, in qvo se exercere possunt, operæ pretium non solum inde, sed præmia qvoqve & honorem adepturi.

D. S. L. H. E. G.

CORRIGENDA.

P. 3. § 2. lin. 2. post balsamus addatur si. P. 7. § 2. lin. 3. pro alterum lege alteram. P. 7. § 3 lin. 2. pro unam lege unum & pro albam album. P. 8. § 4. lin. 16. pro (q) lege (1) & pro (r) lege (2). p. 17. §. 2. lin 4. pro nec lege ne. p. 17. §. II. lin. 5. pro Opobasami lege Opobalsami.

DECANUS FACULTATIS MEDICÆ
IO. HADRIANUS SLEVOGTIUS
ANATOMIÆ CHIRURGIÆ ET BOTANICES P. P. ITEMQVE MEDICUS DUC. PROVINCIALIS

Lectori benevolo

S. P. D.

INter exotica Medicamenta non multis abhinc annis innotescere cœpit quoque CULILAWAN, a Rajo Lawan, in lingua Amboniensi Salackal vel Salackar, in Java Sindos, item Eyck, a Latinis vero Cassia Caryophylloides vocatum. Est Cortex interior arboris valde proceræ, & trunci crassitie amplexum viri excedentis. Provenit, teste Georgio Everhardo Rumphio, in Insula Ambona & vicinis, nec non, secundum Rajum, copiose in sylvis Javæ & Moluccarum insularum. Alit equidem multos ramos rectos, sed demum in culmine, inferius nuda, quibus folia spithamam longa, tresque vel quatuor digitos lata, firma & nervosa, ut in cinnamomi arbore vel lauro, inferne cinerea, superne vero viridescentia adnascuntur, qvæ trita svavem odorem spirant, masticata vero lingvam mordent, uti caryophylli. Qvales flores gerat incertum adhuc est, propter fructus autem haud inepte ad glandiferas referri posset, qvia fructum oblongum, mense Aprili prorumpentem, & Augusto maturum, cortici coriaceo viridi, & circa basin calyci, sex cuspidibus ornato, inclusum alit, cujus substantia cartilaginea, purpurei coloris, in duas partes divisa, succum flavum, instar butyri pingvem, qvalem etiam cinnamomi fructus fundere solet, continet. Sed nec hujus, nec foliorum aut ligni, qvod flavum colorem, levemqve odorem habet, & minime durabile est, ulla ratio ab incolis habetur, qvi solum corticem interiorem, ab externo cineritio & verrucoso separatum, expetunt. Hic recens in trunco purpureus, in ramis viridis visitur, sed exsiccatus cinnamomi colorem assumit, crassities maxima est digiti, minima folii, sapor duplex. Interior enim pars fibrosa, lignum respiciens, ut in cinnamomo, longe acrior est exteriori grumosa. Hæc enim

nim, cum manifesta adstrictione, mucilaginosum qvid, non valde aromaticum, lingvæ communicat, illa vero statim cum morsu eam invadit, & manifeste sassafrasinum saporem edit: ut hâc ob causam a Rajo arbor ipsa inter familiam arboris sassafras referatur, & ex cortice & radicibus Chirurgi in Batavia nova decocta sua, qvæ alias lignum sassafras (ibidem non adeo vili pretio habendum) ingreditur, parent. Egregios enim effectus præstat in morbis scorbuticis, soporosis, & reliqvis, ex massa sangvinea austera & viscida originem trahentibus. Ipsi Incolæ Ambonenses, aliiqve Indi, eum fere tantum ad usum externum adhibere norunt: dum ex eo, & pulvere corticis Massoy, ex nova Gvinea allati, cum ▽ communi pulticulã conficiũt, qva corpus undiqvaq; oblinũt, & adversus aëris frigidi & pluviosi inclementiã muniunt: qvia pulticula talis calorem in cute excitat, & simul punctiones & tormina ventris, qvibus illi freqventer laborant, sedat, gratumqve odorem spirat. Crudus cortex masticatus, fœtorem oris corrigit. In forma pulveris autem datus, anthelminthicas exserit vires, cortici Peruviano minime cedentes, roboratqve stomachum, & pectoris vitia frigida emendat. Per destillationem ex vesica, cum ▽ simplici, præbet oleum subtile, sapore aromatico & colore aureo, odore vero ex macere & sassafras mixto præditum, qvod in Elæosaccharum mutatum mane cum thee vel coffe in scorbuto magna cum euphoria assumi potest. Caput mortuum, a destillatione residuum, dat remedium dysentericis utile, imprimis si cum brodio, in vesica relicto, & ad consistentiam mellis inspissato, ceu gummea corticis parte, in bolos vel pilulas redigitur. Extrahitur præterea ex cortice, mediante menstruo spirituoso, essentia aliqva coloris sangvinei, prorsus aromatica, & in colica & torminibus uternis, stranguria item, & aliis, a Rajo allegatis morbis, laudabiles effectus edens. Voluimus hæc occasione Inauguralis disputationis de Opobalsamo Clarissimi Medicinæ Candidati

JOANNIS FRIDERICI WEISMANNI

prolusionis loco in medium afferre, reliqva ulterioribus experimentis relicturi. Patria ipsi contigit Neostadium, ad Ayschum flumen, oppidum Marchionatus Brandenburgici præcipuum, ubi ex parentibus

 hone-

honeſtiſſimis, ANNO ſalutis humanæ M DC LXXVIII, die XXX Augu-
ſti, natus eſt: Patre Dn. Andrea Weismann, Conſule & Scholarcha
optime merito, ſimulqve pharmacopola artis ſuæ callentiſſimo, qvi
poſtqvam ante biennium, magno cum mœrore familiæ, mundanis va-
ledixit, hactenus beatus inter cœlicolas triumphavit. Mater eſt Urſula,
nata Streicheria, pietate & virtutibus ſui ſexus inclyta. Adhuc puer exi-
ſtens, qvæ ad probitatem morum, & vitæ honeſtatem pertinent, non
domi ſolum, ſed in ſchola qvoqve triviali tempeſtive hauſit, ſimulqve
ſub fideli manuductione Dn. Wismari, ſcholæ Rectoris, & Dn. M.
Joh. Laurentii Sambſtagii, Syndiaconi vigilantiſſimi, fundamenta ar-
tium liberalium, nec non Latinæ & Græcæ lingvæ jecit. Cum autem
vix duodecim annorum adoleſcentulus jam naturali qvadam inclina-
tione ad medicum ſtudium traheretur, neutiqvam incomparabilis oc-
caſio botanicam, & multiplicem materiæ medicæ varietatem, gratis &
facile cognoſcendi, ſimulqve medicamentorum virtutes atqve genui-
nas præparationes, per repetitas operationes addiſcendi, temere ab
ipſo prætermiſſa fuit, qvin potius per integrum qvadriennium in do-
meſtica officina pharmacevtica & chymico laboratorio verſatus, ſub
aſſidua & accurata B. Parentis informatione, egregios profectus ade-
ptus eſt, verasqve encheiriſes & tutiſſimas procedendi vias ſibi intime
familiares reddidit. Hinc ut animum ſolidis etiam elegantioris litera-
turæ præceptis, ſine qvibus in Academiis propoſitæ ſublimiores diſci-
plinæ vix unqvam probe intelligi, nedum decenter in ſuos uſus verti
qveunt, inſtrueret, ad florentiſſimum Gymnaſium Rotenburgenſe
conceſſit, ibidemqve trium annorum ſpatio, dexterrima informatione
Dn. Sebaſtiani Kirchmaieri, Paſtoris Eccleſiæ primarii, & Theologiæ
atqve Eloqventiæ Profeſſoris, nec non D. Gothofredi Werneri, Re-
ctoris, optatiſſimo cum ſucceſſu uſus eſt, ut altioribus ſtudiis matu-
rus judicatus, Anno Meſſiano, M DC IIIC d. XXVII Maji, illuſtrem
Muſarum ſedem Altdorfum ſubire poſſet. Receptus ibi a Rectore
magnifico, D D. Spizio, JCto & Anteceſſore celeberrimo, in ſtudio-
ſorum numerum, neutiqvam improvidæ juventutis ſemitas calcan-
das, aut ingenuam laudabiliter vivendi *libertatem* in turpem flagitio-
rum ſervitutem commutandam eſſe credidit, ſed a *nominis ſui* ſignifi-
catione pariter, ac *ordinis*, qvem modo ingreſſus erat, ratione excita-
tus, *prudenter* ſibi atqve *candide* agendum, & omne tempus liberali-
bus

bus *ſtudiis* impendendum eſſe duxit. Opportune autem ita diviſit dierum horas, ut a divino cultu & neceſſaria corporis refectione vacuas, partim Philoſophiæ addiſcendæ, partim Medicinæ excolendæ conſecraret. Cum enim hanc omnino ut ἔργον ſuum æſtimaret, tanto deſiderio ad ejus intimos receſſus penetrandi tenebatur, ut, qvamvis ad eam minime illotis manibus, (ut pleriqve, ſine duce ac conſilio ad ſcopum hunc cum præcipitantia ruentes, ſolent) veniret, ſed iis jam præſidiis, ex domeſtica inſtitutione, inſtructus eſſet, in qvibus acqvirendis alii Philiatri annos complusculos conſumere coguntur; nondum tamen ſeſe ſufficienter ad ſacram ejusmodi artem, cujus praxis in *ſalutem* æqve ac *perniciem* generis humani procedit, prout a *gnaro* aut *ignaro* exercetur, præparatum eſſe reputabat, niſi Philoſophia, omnium ſcientiarum clave atqve luce, in recludendis cognoſcendisqve myſteriis ἰατρικοῖς munitus eſſet. Inter rariores autem felicitatis ſuæ Academicæ partes numerat, qvod per integrum triennium ſibi licuerit ſolidiſſimis explicationibus Philoſophiæ *naturalis* atqve *Matheſeos*, a B. Sturmio inſtitutis, aures patulas, animumqve cupidum diſcendi commodare: ſub cujus præſidio etiam diſputationem *circularem*, ut vocant, *de Motu ſtellarum ſecundo*, publice & maſcule defendit. Nec ſcholas qvoqve Oratorias & Logicas Omeiſianas, Röttenbeccinas, atqve Mollerianas prætereundas eſſe duxit, cum ipſum neutiqvam lateret, qvantum interſit noſſe, verum a falſo ſeparare, & momenta utriusqve aliis, ut ea credant, demonſtrare. Cum vero hæcce omnia ageret ſedulo, interea nihil intermiſit, qvod ad excolendum ſtudium Medicum qvomodocunqve conferre videretur. Inprimis autem, ut *ſubjectæ artis* exactiſſimam cognitionem ſibi compararet, omnem movit lapidem; adeoqve qvoties corpora humana in theatro publico, brutorum autem in privato artificioſe diſſecarentur, & poſtmodum partium qvarumlibet uſus atqve functiones, totiusqve microcoſmi ſtatus naturalis in collegiis Phyſiologicis exponerentur, noſter ibi qvidem oculos, in operantis manus defixiſſimos, hic vero aures, ad docentis verba attentiſſimas adhibuit. Utrobiqve ductorem habuit excellentiſſimum D. D. Joh. Mauritium Hoffmannum, Anatomiæ, Chymiæ & Bot. P.P. nec non Archiatrum Onoldinum, ex cujus Botanicis etiam & Chymicis laboribus didicit herbas officinales, quarum faciem dudum domi cognoverat, cum plus qvam mille exoticis, ab utroqve

orbe, ex rara illustrissimæ Reipublicæ Norimbergensis munificentia, in hortum Academicum transportatis, in suas classes, sub certos characteres, artificio prioribus seculis incognito, digerere, & de medicamentorum præparationibus, *practice* notis, earumque causis docte & *scienter* judicare. His superstruxit, ad quæ propius Medicum spectare decet, *morborum* scilicet *cognitionem* & *curationem*, quas ex institutionum explicationibus, acroasibusque semioticis, pathologicis & therapevticis, a venerando Asclepiadei ordinis, totiusqne Academiæ Seniore, D. D. Jacobo Pancratio Brunone habitis, ita hausit, ut non tantum sub hujus præsidio dissertationem de *Emeticis* cum magna laude defenderet, sed etiam, postquam ad nos venisset, Præceptoribus pariter suis ac Commilitonibus personam eruditi studiosi exhiberet. Fiebat accessus Anno M D C C, de X X V I I Septembr. fasces Rectorales tenente D. D. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO, Hæred. in Schvvarza, Theoret. P.P. famigeratissimo, Com. Pal. Cæsar. Consil. item ac Archiatro Saxon. excellentissimo, ex cujus prælectionibus, potiores medicinæ disciplinas concernentibus, incomparabile incrementum studiis suis accessisse, gratissimo pectore deprædicat. Interfuit etiam, non sine singulari fructu, doctissimis D. D. Ernesti Heinrici Wedelii, P. P. extraordinarii celeberrimi, Med. Prov. Saxon. Vinar. & Poliatri Jenensis meritissimi, in aphorismos Hippocratis commentationibus, qvibus Physicas, Mathematicas, & in *Novellas* Dn. Hambergeri, Math. P.P. maxime famigerabilis & amplissimi, nec non in *Rem numismaticam* D. D. Burchard Gothelff Struvii, Historiarum P. P. & J. V. D. Consultissimi, cum magno profectuum suorum emolumento junxit. Anno M DCC III abiit ad Batavos, non magis svasu Patronorum, qvam incoercibili discendi cupidine impulsus, ibiqve per annum Lugduni atqve Amstelodami doctissimos & celeberrimos viros assidue sectatus est, & inprimis D. D. Fridericum Deckerum & D. Bernhardum Albinum in cathedra & nosocomio Praxin, D. D. Petrum Hottonem & Casparum Commelinum in hortis Botanicam, D D le Mort privatim & publice Chymiam, & tandem D. D. Ruyschium, Ravium & Bidloo Anatomiam atqve Chirurgiam theoretice & practice docenres audivit; qvorum in se summa merita atqve benevolentiam per omnem vitam gratus venerabitur. Ad nos rediit sub finem Junii, anni nuper elapsi, & ad pristinum Museum, in

qvo

qvo ultra biennium, anteqvam demigraret, habitaverat, divertit. Mihi enim ſemper hoſpes gratiſſimus fuit, cui divina bonitas, præter morales virtutes, ſingularem ſc. pietatem, ingenuitatem, modeſtiam atqve ſobrietatem, miram ingenii alacritatem & φιλοπονίαν eſt largita, ut in excurſionibus botanicis, operationibus Chirurgicis & Chymicis, disputationibus item publicis ac privatis, ægrorumqve viſitationibus eum ſemper infatigabilem, nihilqve occaſione diſcendi prius habentem, offenderim. Autor itaqve fui, ut finem vitæ Academicæ imponeret, & tot laboribus egregium comparatum talentum in honorem Dei, proximique ſalutem impenderet. Monitis amicis obſequens, & carisſimæ Matris Patronorumque conſenſus certus, ante menſes aliquot nomen Facultati noſtræ dedit, &, ut inter Medicinæ Candidatos ſcriberetur, decenter petiit. Admisſus ad examina privata ſatisfecit ſuo officio, ideoque, ut cathedram ſub meo præſidio, d. IV Februar. conſcendat, ipſi permiſſum eſt. Quem actum ut Magnificus Pro-Rector, Comites illuſtrisſimi, venerandi Academiæ Proceres, & Hoſpites omnium ordinum honoratisſimi, clarisſimaque nobilisſimorum Studioſorum concio ſua gratioſiſſima præſentia ſolennisſimum reddere non detrectent, eſt, quod nomine Collegii noſtri officioſe & amanter peto. Datum Jenæ, ſub ſigillo Facultatis, d. 1 Febr. MDCCV.

L. S.